Reverendissime et Amplissime Domine

223

Nuperas meas tibi redditas spero, quibus R. P. Longi de congregatione Oratorii Parisina ex literis ejus ad me datis exposui consilium edendo Bibliothecae Biblicae Universalis, qua omnes Libri Scripturam Sacram illustrantes ubicunque editi, recenseantur, quam in rem subsidia pro nostris Scriptoribus ex Germania petit, nec minus ex aliis Nationibus Domestica cujusque corrogabit. Interea novas ab eo literas accepi quibus additus erat index sane peramplus Editionum Germanicarum Scripturae sacrae, aut partium ejus. Unde judico magnos jam progressus fecisse virum: et tuo etiam praeclaro opere usum se fatetur ipse.

Cogitavi posse apparatus nostros per se edi, sed maturatos ut in Oceanum ejus deinde influere possint, idque magis fore ex dignitate Germaniae quam si quis ~~[illegible]~~ optimo viro, (pecuniam etiam pro labore offerenti:) mercenariam hic operam

223 V

praestet. Catalogis quales Francofurtani et Lipsienses, et ex his concinnatis Collectionibus Draudianae et Lipenianae non satis fidi posset, sed magis indicibus Bibliothecarum et Auctorum ipse in suo Bibliorum apud Germanos editorum indice notat quas editiones viderit ipse, quas hauserit ex TE: nec inconsultum sane foret in minus obviis Bibliothecas ipsas praesertim publicas citari

Sed opto de tota re sententiam intelligere tuam, nec ingratum Tibi fore hanc interpellationem meam, in re non minus Tibi decora quam in publicum fructuosa. Vale et fave

Dabam Hanoverae 23 Junii 1704

Deditissimus

Godefridus Guilielmus
Leibnitius